

1728.
DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA,
EXHIBENS

THESES
MISCELLANEAS
THEORETICO-
PRACTICAS,

QUAS
DE O. M. PRÆSIDE,
EX
DECRETO & AUTORITATE
MAGNIFICI & AMPLISSIMI
DOCTORUM ORDINIS
IN
ALMA MARBURGENSIUM UNIVERSITATE
Pro LICENTIA

*Summos in Utroque Jure honores immunitates ac Privilegia
DOCTORALIA ritè capessendi,
Publico MAGNIFICI Senatus Academici
Examini submittit,*

Ad diem Anno M DCC,
OTTO FRIDERICUS HUCK,
RHEDA TECKLENBURGENSIS.

MARBURGI CATTORVM, Typis JOH. HENRICI STOCKII.





I. N. D. N. J. C.

T H E S. I.



Ividitur plerumque à Doctoribus Justitia in universalem & particularem, hæc autem in distributivam & commutativam. Distributivam dicunt versari circa res externas communes, seu circa distributionem præmiorum & honorum, secundum proportionem Geometricam. Commutativam dicunt versari cir-

ca res privatas five singulorum, nempe, circa contractus & delicta (synnallagmata spontanea & invita) consequenter etiam circa pœnarum distributionem, secundum proportionem Arithmeticam. Verùm, cum ob rationum, quas huc adducunt, paritatem, vix aliquam possim invenire differentiam, in contractibus enim pœnisque æque ac præmiis & honoribus justitia est observanda; Statuo omnia in mundo fieri commutativè, tam ratione justitiæ universalis, quàm particularis. Non nego quidem, quòd interdum per accidens, propter numerum imparem, sive ratione qualitatum & diversorum subjectorum debeamus uti mediò aliquò inveniendi; Interim tamen factâ distributione, quæ interdum commutati-



væ justitiæ ancillatur, applicatio fit secundum proportionem arithmeticam.

T H E S. II.

Variant in hoc Doctores, an Comes Palatinus proprios naturales liberos sive spurios legitimare possit: Negativam sententiam tuentur *Treutl. Vol. 1. Disp. 2. thes. 6. lit. G. Ludw. Disp. 2. th. 7, lit. H.* Affirmativam defendunt *Eckolt. tit. ff. de his qui sunt sui vel alien. §. 23. Hahn. ad π. Wesenb. d. t. num. 3.* Distinguendum esse puto inter liberos ante impetratum diploma, & post diploma impetratum susceptos; Quòd illos legitimare possit, existimo, non verò hos. Ratio prioris potest esse, quòd Princeps delictum prius condonaverit; Ratio posterioris est, ne privilegiò sibi concessò Comes Palatinus in fraudem utatur.

T H E S. III.

CAjus mittit Sempronio mandatum, ut suo nomine in iudicio agat, Sempronius tacet. Quæst. an taciturnitas ipsius pro consensu habeatur? Neg. quia à parte procuratoris constituendi, ex cuius taciturnitate non potest inferri mandatum esse susceptum, expressus consensus requiritur *l. 8. §. 1. D. de procurat. junct. l. 8. §. 15. quib. mod. pign. vel hypoth. solv. l. penult. D. de furt.* Videtur obstare, quòd, qui tacet, consentire videatur *c. 44. de Reg. Jur. in 6.* Sed disting. inter detrimetosa & lucrativa, in lucrativis tacens tam in judicialibus quàm extrajudicialibus consentire videtur, in detrimetosis disting. inter facta, ex quibus consensus potest elici, & inter facta, ex quibus consensus non potest elici; Sic, si quis literas procuratorias acceptas retineat, taceat, & negotium demandatum tractet, quin consensisse credatur, dubium nullum est: & sic explicari debet *Clem. 1. de procur. adde Bachov. ad Treutl. Vol. 1. Disp. 27. th. 5. lit. F.* Moribus tamen contrarium observari contendit *Eckolt. t. ff. de Procur. §. 10.*

T H E S. IV.

Tertius Mercator, qui habebat tres filios, quorum natu maximus Cajus militiam sequebatur, minor Mevius studiorum gratiâ peregrinabatur, minimus, Sempronius dictus, vestigiis patris insistendo mercaturam exercebat, aliquamdiu morbo lethali decumbens moritur. Cajus & Sempronius filii hereditatem paternam potissimum in mercibus, quæ tempore consumuntur & servando servari non possunt, consistentem æquis partibus inter se dividunt, fratri Mevio suam quoque partem assignantes. Interim Cajus & Sempronius fratres inter se non potuerunt convenire, uter venditionem mercium, fratri Mevio absentem competentium, ne perirent, susciperet. Minimus frater Sempronius operas suas in fratris mercibus distrahendis, tanquam magis peritus, offert. Frater maximus Cajus minori non cessurus, eò invitò fratris Mevii portionem mercium, unâ cum sua distrahere suscipit. Quid sit? Sempronius ex sua portione ferè tantum argenti redegit, quantum Cajus ex sua & fratris Mevii portione. Lapsis duobus annis frater Mevius domum revertitur, & postquam patrem fuisse mortuum, merces hereditarias divisas & portionem suam, quam Cajus frater vendendam susceperat, longè minori pretiò, quam, si à fratre Sempronio distracta fuisset, distractam cernit, exigit à fratre Cajo rationes, & ut justum mercium pretium præstet. Frater Cajus hocce denegans convenitur actione negotiorum gestorum. Ille præ tendit, se summam adhibuisse diligentiam, qualem quilibet diligentissimus paterf. in rebus suis communiter adhibet, & ita nullius culpæ reum esse. Qst. anne Cajus frater quoque condemnari possit, ut præstet Mevio fratri illud, quod justo pretio ex mercibus redigendo deest? R. affirm. quia Cajus frater culpæ levissimæ, quam præstare tenebatur, reus est: à qua non excusatur quòd summam, quam potuit, in mercibus

A 3

bus

bus vendendis adhibuerit diligentiam, siquidem hic aderat frater Sempronius, qui, velut mercator exactiorem in distractione mercium diligentiam adhibere poterat, & communicationem operæ suæ obtulerat, ipse autem sibi imputare debebat, quòd temere negotio, cui gerendo impar erat, se immiscuerat; Non enim debet quis affectare id, in quo intelligit vel intelligere debet infirmitatem & imperitiam suam aliis nocumento futuram *l. 8. §. 1. ad L. Aquil. l. 132. de R. J.* Et quoties cunque quis temere rem aliquam gerendam suscipit, aliò, qui diligentior esse potest, præsentem, toties committit culpam levissimam & ejus reus est *arg. §. 2. J. quib. mod. re contrah oblig.* Culpa quoque levissima potius evitatur per evitacionem temeritatis, quàm per præstationem exactissimæ diligentia.

T H E S. V.

Tralatitium est verum usumfr. constitui in omnibus rebus corporalibus & incorporalibus (datur enim jurium usus & fructus, quod ostendit Exemplum jurisdictionis, cujus fructus in mulctis & pænis consistentes alteri possunt constitui *Schneidew. & Vinn. ad §. 2. J. de Usufr.*) mobilibus & immobilibus *d. §. 2.* imò in universis alicujus bonis, modo usumfr. dodrantem non excedat, *L. 29. ff. eod.* exceptis tamen iis quæ usu consumuntur *d. §. 2.* Sed quid dicendum de vestimentis? constituitur in his verus an quasi usumfr.? dicitur in *L. 9. §. 3. ff. usufruct. quemadm. cav. & l. 15. ff. de usufr.* vestium usumfr. constitui, & contrà in *§. 2. J. de usufr.* dicitur vestimentorum quasi usumfr. constitui. & disting. inter vestimenta, quibus rariùs utimur qualia sunt lugubria & scenica, in quibus ob rariorem usum (tempore enim potiùs quàm usu consumuntur) usumfr. constitui potest, & inter quotidiana, quæ usu consumuntur, in quibus quasi usumfr. constituitur, de prioribus intelligendæ citatæ leges, de posterioribus *d. §.* Vel responderi potest: Vestes aut legantur ut quantitas, ita ut illarum

larum æstimatio debeat præstari finitò usufr. & sic in illis constituitur quasi usufr. & fit in vestibus quotidianis; aut vestes alicui legantur ut corpus, ita ut eadem substantia finitò usufr. debeat restitui, quod fit in vestimentis pretiosioribus, quæ ad ostentationem geruntur, qualia sunt scenica, lugubria &c. in quibus, quàmvis levis attritio sit, totalis tamen abusus & consumptio non adest; Similiter quemadmodum in pecunia numerata quasi usufr. constituitur, ita puto in nummis matibus aureis vel argenteis in quibus sola animi oblectatio, recreatio item ostentatio pro fructu est verum usumfr. constitui posse.

T H E S. VI.

Qui habet verum usumfructum, cavet jure Civili datis fidejussoribus, moribus nostris, etiam pignoribus, *Lauterb: in compend. jur. tit. ff. usufruct: quemadm: cave: se boni viri arbitriò fruiturum, & finitò usufr: restitutum, quod inde extabit l. 1. pr. §. 6. & 7. ff. usufr. quemadm: cav.* Quasi usufructuarius autem cavet, se finitò usufr: rem in eodem genere & bonitate. vel etiam ejus æstimationem restitutum §. 2. *J. de usufr. & l. 7. ff. de usufr. ear. rer. qua usu cons.* Sed an hæc cautio à testatore remitti potest? *æ. neg: (1) quia Testator favori pro herede introducto renunciare non potest. (2.) quia nemo facere potest, utne leges in testamento locum habeant l. 55. ff. de legat. 1. (3.) quia amotò cautionis metu usufructuarius invitaretur ad delinquendum & pro libidine in re fructuaria grassandum. Vinn. ad pr. J. de usufr. n. 9.* si tamen Testator lubens cautionem usufructuario remitti velit, potest filium suum sub hac conditione instituere: *Filius meus Cajus heres esto, si à Sempronio usufructuario non velit cautionem petere: Vel. Filius meus esto contentus cautione juratoriâ & remittito cautionem fidejussoriam, aut non sit heres; ubi filius necessariò hanc cautionem remittere cogitur*

M
3.

ur: est enim hæc conditio potestativa, quam filius, si heres esse vult, adimplere tenetur.

T H E S. VII.

DEponi possunt res in commercio existentes & custodiam recipientes sive sint deponentis propriæ sive alienæ *Vid. l. 1. §. 39. & l. 31. ff. deposit.* & quidem mobiles. Sed an res immobiles deponi possunt? Ita volunt Doctores *Ludw. disp. 11. th. 9. lit. C. Eckolt. tit. ff. deposit. §. 3. & Lauterb. in compend: Jur. d. t.* ex hoc principio, quod res immobiles tradi possint & custodiri, ergo etiam deponi allegantes pro opinione sua confirmanda *l. 11. ff. de pericul. & commod. rei vendit. l. 3. §. f. ff. de Acquir. vel amitt. poss.* Verius tamen est ejusmodi depositum degenerare in mandatum, *Vid. Exerc. Domini Brunn. ad §. 3. J. quib. mod. re contrah. obligat.* quippe non datur propriè custodia rei, quæ auferri non potest, sed custodia circa rem.

T H E S. VIII.

AD depositum refertur quoque sequestrum, ubi res litigiosa à partibus deponitur, in casum victoriæ victori restituenda, & dicitur depositum voluntarium. Interdum autem autoritate judicis sequestratio fieri solet quando scmetus armorum, scandali, dilapidationis, fugæ aut alia justa causa subest: dicitur hoc depositum necessarium aut judiciale & regulariter tanquam species executionis est prohibitum *l. un. C. de prohib. sequestr. pec. c. 1. X. de sequestr.* Depositarius hõc locõ dicitur sequester, in quem etiam possessio transferri potest, si ita partibus visum fuerit *l. 39. ff. de Acquir. vel amitt. poss. Zæs. t. ff. deposit. num. 35.* quia pars juri suo præjudicare potest.

T H E S. IX.

Qui chirographõ alteri datõ nummos se accepisse fatetur & eosdem sive alios se restitutum promittit, obligatur

M

Jur quidem civiliter ante biennium, potest tamen, si nummos non acceperit, intra dictum biennium proponere querelam non numeratæ pecuniæ, sive per modum exceptionis, replicationis contra apocham *l. 14. §. 2. C. de non num. pec.* Denunciationis seu protestationis *l. 8. l. 14. §. f. C. eod.* sive per modum actionis, sc. condictionis sine causa vel causâ datâ causâ non sequutâ *l. 7. C. eod. l. 1. §. 1. ff. de condict. caus. dat. l. 3. C. de postul.* aut etiam interdum mediante actione pignoratitiâ, vel rei vindicatione. *l. 11. §. 2. & l. 1. C. de non num. pec.* Exceptio non numeratæ pecuniæ hunc effectum habet, ut onus probandi, pecuniam verè esse solutam, in Creditorem transferat. Hæc strictô jure post biennium *ob l. 14. §. 2. inf. C. d. t.* non potest opponi. In praxi tamen ob æquitatem contrarium receptum est, modo debitor probare liquidò possit, pecuniam sibi non fuisse numeratam *Vid. Carpz. p. 1. Const. 32. def. 66.* Hinc consideratur dicta Exceptio vel ut privilegiata, seu oneris probandi translatoria & ita intra biennium opponenda; Velut communis seu vulgaris, ubi excipiens eam probare tenetur & sic etiam opponi potest post biennium, habet enim generalem doli exceptionem *l. 3. C. de non num. pec.* quæ suâ naturâ perpetua est *l. 5. §. f. de dol. mal. & met. except. Lauterbach compend. jur. tit. ff. de Reb. Cred.* Ex hisce liquet, cautè nummos mutuò daturum, non soli scripturæ credere, sed testes quoque numerationi adhibere debere *Auth. si quis vult cautè C. qui potior. in pign. imprimis,* cum nequidem profit Creditori, si debitor dictæ exceptioni renunciaverit, siquidem spe futuræ numerationis renunciatio hæc facta censetur, nisi ex intervallo vel in alia schedula renunciatum fuerit *arg. l. 4. C. de non num. pec. Sichard. ad l. 3. C. eod. n. 13. Carpz. p. 1. const. 32. def. 65.*

T H E S. X.

EXpediti juris est à contractu emptionis nondum perfecto cum arrharum dispendio discedere licere. Sed quid, si

B

con-

contractus jam sit perfectus? certe invito altero, etiam si alter arrhas amittere paratus sit, a contractu non est discedendum per l. 6. C. de rescind. vend. Zoës. ad ff. t. de contrah. empt. num. 27. nisi arrha in specie sit data, ut eâ amissâ poenitere liceat, quod in nostris arrhis quas Reu kauff vocamus, procedere Doctores putant. Vid. Mev. ad jus Lubec. L. 1. Dec. 6. art. 18. num. 16. Contractu emptionis perfectô, Venditor, si est debitor speciei, interitu ejus, qui ante traditionem casu contingit, liberatur; Emptor autem ad pretium solvendum cogi potest. Non obstat: quod Venditor ante traditionem adhuc Dominus sit, per pr. J. de Empt. & Vend. res autem pereat suo Domino. R. enim non est perfectè Dominus, cum res jam emptori per contractum affecta, sed simul est debitor rei. Huic accedit, quod quemadmodum contractu perfectô omne commodum sequitur emptorem, ita etiam omne incommodum casu contingens illum sequi oporteat.

T H E S. XI.

Tenetur Venditor præcisè rem venditam tradere nec liberatur præstando interesse per l. 25. §. 1. de contrah. empt. & §. 2. J. de donation. Verùm, quid dicendum, si quis duobus rem aliquam in solidum vendat? in quem transferetur Dominium? Si uterque in bona fide est, ille cui prius traditur, Dominus fiet per L. quoties. 15. C. de R. V. si autem posterior emptor scit, priori rem istam fuisse venditam, aliud est dicendum.

T H E S. XII.

Mevius vendidit Titio equum, qui constabat 125 imperialibus; 60 thaleris. Equus traditus casu fortuito moritur. Quæst. an Mevius adhuc querelâ enormis læsionis agere possit adversus Titium ad pretium justum supplendum? R. affirm. ratio est hæc, quia si debitor alternativè obligatus, cui irregulariter competit electio juxta §. 22. J. de action. l. 10. §. ult. D. de jure dot. l. 34. §. 6. de contrah. emt. Reg. 70. in 6to etiam casu

M
3.

casu fortuitò impeditus unum eligere impeditur , rectè ab ipso exigitur alterum l.2. §.3. de eo quod cert. loc. d. l. 10. inf. de. jur. dot.

T H E S. XIII.

Similiter vice versâ emptor læsus , etiamsi res empta infortuniò extinctà fuerit , adversus venditorem agere potest , ut , quod justum pretium exolutum superat , restituat. Vid. D. Lauterbach tr. synopt. de rescind. vendit. §. 1. num. 20. & 21.

T H E S. XIV.

Quemadmodum in emptione venditione res cum certo pretio ita in locatione conductione usus rei vel etiam personæ sive operæ cum certa mercede commutatur. An autem in locatione conductione merces , uti in emptione venditione pretium , præcisè in pecunia numerata consistere debeat , controversum est. Affirmant Hahn. ad Wesub. t. ff. locat. conduci. Eckolt. t. ff. eod. apud quem cumulus Doctorum idem sentientium reperitur. Lauterbach. in comp. jur. t. eod. Rectius distinguitur inter locationem operæ & rei. In illa merces tantum in pecunia numerata consistit l. 5. §. 2. ff. de præscript. verb. In hac verò merces in omni re fungibili consistere potest per l. 21. C. de locato conduc. modo sit proportionata usui , alias est societas vel contractus innominatus. Ratio autem differentiæ est hæc , quia , si in locatione facti non interveniret pecunia numerata , confunderetur locatio cum contractu innominato facio ut des : pecuniâ verò datâ locatio est l. 5 §. 2. ff. de præscript. verb. Secus se res habet in locatione rei , in illa enim hæc confusio non est metuenda v. g. si locem alicui olivetum , eâ lege , ut locò mercedis quotannis mihi solvat decem olei amphoras. Non celebratur hic contractus innominatus facio , ut des , quia traditio rei locatæ non est tale factum , quale in contractu innominato requiritur , non enim hic pro traditione vel factò , quemadmodum in contractu facio ut

B 2

des

des fit, sed pro usu oliveti locati conductor mihi oleum dat.
*Vid. Hillig. ad Donel. lib. 13. c. 6. lit J. & Struv. Ex. 24. th. 5.
 num. 1.*

T H E S. XV.

Verum Colonus partiarius, qui incertam quantitatem
 v. g. tertiam vel dimidiam partem fructuum in fundo
 nascentium juxta conventionis modum praestat (der einen
 Acker um die Helffte bestellet) proprie colonus non est, quia
 per talem conventionem aliquo modo à natura hujus con-
 tractus receditur & colonus quasi societatis jure damnus &
 lucrum cum Domino fundi partitur *l. 25. §. 6. in f. ff. locat.
 conduct. adde l. 52. §. 2. pro soc. & Struv. l. c.*

T H E S. XVI.

Valeat societas, etiam si alter pecuniam tantum, alter vero
 solum operam adhibeat, cum operam adhibens saepius
 tantum operam suam prodesse queat, quantum alter otiosus pe-
 cuniam suam. Valeat quoque tum, si inter socios conventum fue-
 rit, ut alter lucri partem ferat, de damno vero non teneatur,
 quia satis ille perdit, qui operam perdit. Intelligendum ta-
 men hoc est cum aliquo temperamento, si tanti nimirum est
 opera, quanti est pecunia *uti Cassius & Sabinus. l. 29. §. 1. ff. pro
 soc. responderunt*, ex ratione dicta, quod plerumque tanta sit
 socii industria, ut plus societati conferat, quam pecunia.
 Non autem valet societas, si ita inter socios fuerit conven-
 tum, ut alter tantum lucrum, alter vero solus damnum susti-
 nere debeat, quae Leonina vocatur *d. l. 29. §. ult. ff. pro soc.*
 ubi ratio est, sc. quod iniquissimum societatis genus sit ex qua
 quis damnum, non etiam lucrum spectet (alii speret) Aliud
 tamen dicendum est, si expressè constet, donationis causam
 aliquem talem societatem inivisse *arg. l. 38. ff. de contrah. empt.*
 Sed quid? si alter pecuniam tantum, alter vero solum contu-
 lit operam, pecunia autem casu fortuito perit, eritne da-
 mnus

num commune? Negat Ludwel, statuens ad eum solùm pertinere damnum, qui contulit pecuniam. Affirmat *Eckolt. tit. ff. pro soc. §. 5.* Rectiùs cum *H. Grotio de J. B. & P. L. 2. c. 12. §. 24.* Disting. aut opera confertur cum solo pecuniæ usu & fors Domino suo perit, & si salva est, Domino salva est, cùm sufficiat, alterum frustra operam impendisse; aut opera confertur cum ipso pecuniæ Dominio, ubi damnum est commune, operam enim impendens fit particeps sortis. Ulteriùs controversitur, si inæqualis sit sortis collatio, quomodo calculus formari debeat, anne secundùm proportionem Arithmeticam, an verò Geometricam? *R.* secundùm proportionem Arithmeticam, adhibitâ tamen distinctione inter medium inveniendi, quod est proportionis Geometricæ, & medium inventum applicandi, quod est proportionis Arithmeticæ. *Vid. thes. 1.*

T H E S. XVII.

Certum est Jure Civ. patrem à filio stipulari non posse, quia filius ipsius juri subjectus est, & una cum patre in contractibus habetur persona, nemo autem sibi ipsi obligari potest *V. §. 6. J. de inut. stipulat. & L. 11. ff. de legat. 1.* Exceptio tamen est, si filius habeat peculium castrense & quasi; quia ibi pro patre habetur *l. 2. ff. ad Sc. Maced. & arg. §. 6. J. de milit. test;* & sic rectè in hoc peculio à filio pater stipulatur, sed, an idem obtinet in peculio adventitio extraordinario? Negat *Ludw. in comm. J. ad §. 4. de inutil. stipul. num. 2.* (1.) per textum generalem *l. 4. ff. de judic.* (2.) quia patris & filii una persona est. Affirmativa tamen sententia verior est per *Nov. 117. c. 1.* in qua liberis de eo disponere liberè seu pro lubitu concessum; Ergò cum patre de eo contrahere potest. Ad rationem oppositam primam respondetur generalitatem *d. l. 4.* limitatam esse per *d. Nov.* imò peculium hoc jure *ff.* planè fuit incognitum ut sic *d. l. 4.* exclusum esse, dici

B 3

non



non possit. Ad secundam rationem per instantiam resp. quòd in peculio castrensi idem obtineat ; deinde quòd hæc unitas personæ intelligenda sit ratione bonorum illorum, in quæ pater aliquod jus habet.

T H E S. XVIII.

QUAMVIS filiusf. peculii adventitii irregularis plenus Dominus sit, & si perfectæ ætatis est, inter vivos liberè disponere *Nov. 117. c. 1. §. 1.* imò, sine patris consensu illius res mortis causâ donare possit *arg. l. 39. ff. de oblig. & Act. & d. N. Bachov. in not. ad Wesenb. t. de mort. cau. donat. num. 4. & ad Treutl. Vol. 2. D. 10. th. 2. lit. C. non obst. l. 7. §. f. ff. de donat. cujus resolutionem Vid. apud Eckolt. t. de mort. cau. donat. §. 3.* Non tamen ratione dicti peculii testari potest *arg. pr. J. quib. non est permiff. l. pen. C. qui test. fac. poss. non obst. l. fin. §. filiis autem C. de bon. quæ liber. neque d. Nov. 117. c. 1. §. 1. Vid. Zoës. in comment. ff. ad tit. qui test. fac. poss. n. 17. & cit. Eckolt. ad t. ff. de pecul. §. 5.*

T H E S. XIX.

SI quis duas vel plures res copulativè ab aliquo stipulatur, & ipse ad unam rem respondet, quoad illam obligabitur, quia sic tot sunt stipulationes, quot sunt res : Si autem quis plures res disjunctivè sive alternativè ab aliquo stipulatur, & hic ad unam rem tantùm respondet, inutilis est stipulatio, quia una tantùm hæc est stipulatio, ad quam non congruè respondit *Vid. l. 83. §. 2. ff. de verb. oblig. quamvis hodie postrema hæc stipulatio in vim pacti valere possit.*

T H E S. XX.

Obligations admittunt regulariter fidejussores ; Excipiuntur tamen nonnullæ, quas *vide apud Struv. Ex. 47. th. 38. & Eckolt. t. ff. de fidejussor. §. 14.* Inter has autem non est minima exceptio, quòd doti non possit accedere fidejussor *per tot. t. C. ne fidejussor. vel mand. dot. dent.* Turpe enim est

503

M
3.

est uxorem majorem habere fidem fidejussori extraneo, quam marito, cui animum, corpus & omnem vitam tradit *V. L. 8. C. de pact. convent.* Intelligendum hoc est de dote conservanda & restituenda à marito (*Vid. Wissenb. p. 2. Disp. π. 27. th. 2.* ubi ad contraria respondet) non verò de dote solvenda à socero. Existimant multi prohibitionem hanc procedere etiamsi maritus propriò motu offerat fidejussorem (quamvis in praxi hoc admittat *Carpzov. P. 2. C. 42. D. 17.*) ratio est, quia non tantùm exigere, sed & dare fidejussorem prohibitum est. Deinde eadem ratio est, nè ansa simultatis & perfidiæ inter conjuges detur, quod etiam fieri potest, si uxor oblatum à marito fidejussorem acceptet; Si enim fidem haberet marito, non acceptaret *Bachov. ad Treutl. Vol. 2. D. 7. th. 4. lit. C.* Moribus tamen, præsertim Pomeraniæ, hanc prohibitionem non ampliùs observari testis est *Mev. L. 2. Dec. 367. num. 6.*

T H E S. XXI.

SI quis pro furioso fidejebet, obligatur quidem fidejussor, sed non ut talis, quia nulla hic adest principalis obligatio (furiosus enim ob defectum intellectus ne naturaliter quidem obligatur) sed quatenus animum donandi habere præsumitur *per l. 25. ff. de fidejussor.* unde non alienò nomine tanquàm is, qui alterius obligationi accedit, quæ hoc in casu nulla est, sed ex sua persona tanquàm principalis obligatur, confer *Bachov. ad Treutl. V. 2. Disp. 28. th. 3. lit. B. & Arnold. Vinn. ad §. 1. J. de fidejussor.* & sic fidejussor est quoad nomen, non verò quoad rem. Idem dicendum de fidejussore, qui pro pupillo absque tutoris autoritate contrahente intercedit.

T H E S. XXII.

INDubitati juris est, omnes, qui liberam rerum suarum habent administrationem posse donare, nisi specialiter prohibeantur *arg. l. 43. §. 1. ff. de Procurat.* res tam corporales, quam

quàm incorporales *l. 9. l. 17. & 27. ff. de donat.* modò sint in commercio illorum *d. l. 9. §. fin.* item bona tam futura quàm præsentia. Sed an ne quis universa bona sua donare potest? Affirm. arg. *l. 17. §. 1. ff. de his, quæ in fraud. Credit. l. 35. §. 4. C. de donat. l. 8. C. de revocand. donat.* Consentunt *Hahn. ad Wesenb. tit. ff. de donat. n. 5. Struv. Ex. 40. th. 9.* Salvâ tamen liberis, si quos donator habet, legitimâ; quoad hanc enim ejusmodi donatio querelâ inofficiosæ donationis rescindi potest. Videtur tamen, quòd, cùm hujusmodi donatio testamenti factionem videatur tollere non sit toleranda; Verùm & (1.) quòd impediatur tantùm testamenti factionem, quæ non est sufficiens ratio, secus enim sequeretur, etiam arrogationem & ingressum in monasterium è medio tolli debere cùm & hic impediatur testamenti factio *juxta auth. ingressu C. de SS. Eccles. (2.)* sub bonis non continentur nomina, ita ut supersit aliquid, de quo possit testari, & donator in id tantum, quod facere potest, convenitur, nec illi vitæ necessaria auferuntur, ne egeat *l. 10. §. 1. de Re Jud. l. 33. pr. ff. de donat. Junge Wissenb. p. 2. Disp. π. 16. th. 11.*

T H E S. XXIII.

Licet quis per donationem inter vivos universa alicujus bona fuerit nactus, attamen à Creditoribus conveniri non potest *l. 15. C. de donat.* est enim successor singularis: Dissentit *Struv. l. c. th. 9. inf:* nisi facta sit donatio cum hac conditione, ut donatarius Creditoribus satisfaciatur *l. 22. C. d. t. juncta L. 9. C. eod. & Perez. in C. eod. n. 22.* Si autem in fraudem Creditorum fit ejusmodi donatio, eam per Actionem Paulianam revocari posse, dubium nullum est *l. 6. §. 11. & l. 17. §. 1. ff. quæ in fraud. Cred.* Aliud autem statuendum est, si quis per donationem mortis causâ universa alicujus bona acceperit; hic enim, cum habeatur pro successore universali sive pro herede utique à Creditoribus conveniri potest *per d. l. 15.*

M
3.

l. 15. C. de donat. & l. 1. §. 16. ff. ad SCt. Trebell. add. Carpz. p. 2. C. 12. d. 28. & 29. & Lib. 6. Respons. 2. Non tenetur quoque donatarius omnium bonorum donatori alimenta præstare; oritur enim ex donatione tantum merè naturalis sive minus plena ad remunerandum obligatio l. 25. §. 11. ff. de heredit. pet.

T H E S. XXIV.

Conveniunt in hoc plerique Doctores, ut Struvius, Zæsius, Swendendorfferus alique, quod partus ancillæ furtivæ, apud furem conceptus, matris pars, per consequens furtivus sit & usucapi non possit, etiam si apud b. f. possessorem editus sit, dissentiunt autem quoad foetum pecudum, existimantes foetum vaccæ vel equæ furtivæ apud furem conceptum, sed apud b. f. possessorem editum, ita statim b. f. possessori acquiri, ut ne quidem usucapione indigeat, per *l. 48. ff. de A. R. D. l. 4. §. 19. de Usucapion. l. 48. §. 6. ff. de furt. §. 37. J. de R. D. l. 28. ff. de usur. l. 48. pr. ff. de A. R. D.* Verum enim verò, cum sit generale juris principium, ancillas quadrupedibus æquiparari per *l. 2 §. 2. ff. ad L. Aquil.* & sic nulla ratio obstet, quò minus vacca foetui suo in utero existenti vitium furtivi imprimat, quàm ancilla furtiva ventri suo, nec non ex *L. 10. ff. de usucapion. & l. 48. §. 5. ff. de furt.* plus satis constet, etiam in materia usucapionis, quando de partu ancillæ aut quadrupedis furtivæ usucapiendo quæritur, idem juris esse in foetu, quod in partu ancillarum; statuo b. f. possessorem non posse foetum pecudum acquirere, nisi quoque apud illum fuerit conceptus & editus, non obstantibus legibus in contrarium allegatis.

T H E S. XXV.

Manifestum est, poenam furti manifesti jure prætorio fuisse quadruplum, nec manifesti ex *LL. 12. tabb.* duplum *§. 5. J. de obligat. qua ex delict. nasc.* eamque actione furti, quæ merè poenalis fuit, petitam fuisse, rem ipsam autem furto ablata

C tam

tam aliâ, veluti conditione furtivâ, rei vindicatione, &c. *S. f. J. d. t.* Multi pœnâ hanc introductô suspendiô abrogatam esse contendunt; Verùm ipsa *Ord. Crim. art. 157. & seq.* contrarium testatur, ubi pœna quadrupli & dupli pro diversitate furti manifesti & non manifesti repetitur. Hodie furtum 5. solidos i. e. 5. Ducaten *Bocer. spec. tr. de pœna furt. c. 1. n. 57. Carpz. P. 4. C. 32. def. 1. Idem prax. crim. P. 2. q. 78. num. 29.* (quamvis *d. art. 157.* simpliciter dicatur *Gulden*; cujus valor est 60. *Kreuzer*) excedens pœnâ suspendii punitur, modò sit qualificatum (*eingefährlicher Diebstahl*) i. e. si non sit primum, sed tertiò reiteratum, imò et si sit primum, modò tamen violentia, ascensio, effractio & arma intervenerint *Vid. Constit. CAROL. V. art. 159. & seq. Carpz. Prax. Crim. P. 2. q. 78. & seq.* An autem pœna hæc sit justa, admodum controversatur; Verior est affirmantium sententia, præpositô hõc principiò, quòd Princeps potestatem habeat, pœnam delicti, jure divinò morali prohibiti, ad mortem extendendi: Princeps enim custos utriusque tabulæ est, & hinc pœnas, jure divinò dictatas, si easdem, ad subditos in officio continendos, non sufficere advertat, aggravare & ad mortem usque extendere potest: Exemplum simile in polygamorum pœna habemus, quos justè pœnâ mortis affici, non quidem jure divinò, sed humanò, nemo est, qui hæctenus negavit (quamvis de eo adhuc dubitari possit) quare ergo non idem liceret in furto, quod expressè in decalogo prohibitum, polygamia verò tantum implicitè. Cœterùm pœnam suspendii injustam dicentium ingens reperitur numerus, in quo sunt *Scotus. Alex. Alenf. Andr. Rivet. Ames. Bachov. ad Wesenb. & Treutl. Anton. Matth. Eckolt.* Inter hos quoque est *Wissenbach*, cujus argumenta paucis expendere placet. Opponit ipse *ad t. ff. de furt. th. 18. (1)* quod nulla proportio sit inter vitam hominis & hoc delictum, *sc.* non consideratur delicti quantitas, sed

sed

505

M
3.

sed qualitas, & sic proportio est inter vitam hominis & delictum hoc, ratione qualitatis, quæ apparet ex transgressione legis humanæ, violato præcepto divino & turbata societate communi. Adde Hahn. ad π. Wes. t. ff. de furt. num. 15. vers. quid quod in coercendo & Swendendörff. in not. ad Eckolt. t. eod. §. 12. ad verbum: confundit. (2.) opponit, stuprum simplex non esse capitale, cum tamen sit damnum irreparabile, furtum verò damnum reparabile, quod restitui possit. R. stuprum fieri volenti, furtum verò invito, inter quod quantum intersit, facili negotio constat; nam & stuprum violentum pœnâ capitis puniri, vulgo notum est. (3.) in centum equos occidentem non animadverti pœnâ capitali, sed tantum ad damni restitutionem illum obligari, verum 3. equos furtò auferentem laqueo puniri, quod absurdum foret. R. equos occidentem, tantum nocendi animum habere & hoc rarius contingere, furtò verò eos auferentem & nocendi & lucrificandi animum habere, ac ita duplici delicto gravari, & inde majori quoque pœnæ subjiciendum esse (4.) aliter furta posse coerceri v. g. per damnationem ad operas publicas & destructionem in domos disciplinares. R. evictâ superius proportione, inter vitam hominis & hoc delictum, jus determinandi pœnam vel irrogandi unam ex pluribus, iure Majestatis Principi competere, dubium nullum est. Graviter quoque adhuc videtur obstare, quod habet dictus Eckolt. t. ff. de furt. §. 12. nempe quòd regula iusti in Deo alia atque alia non detur, sed eadem semper & immutabilis, iudiciumque ejus de puniendis flagitiis perpetuò idem & per consequens quoque perpetuum sit circa puniendi modum; Sed R. dictam assertionem concedi in moralibus & naturalibus & in iis, quæ simpliciter & sine omni conditione mandantur, non verò in iis, quæ decernuntur sub conditione status, temporis & aliarum circumstantiarum, quæ sublatâ tali conditione mutantur



tur & tales sunt tum leges divinæ forenses, tum ceremoniales. Distingui itaque potest inter rei mutabilitatem & inter mutabilitatem divinæ voluntatis: hæc est immutabilis, ea tamen potest esse mutabilis. *Swendend. ad Eckolt. l. c. adde Struv. Ex. 48. th. 23. item Vide Carpzov. Prax. crim. P. 2. q. 77. & seq. nec non Hahn. l. c. ubi Bachovio contradicenti respondet.*

T H E S. XXVI.

NON solùm is furti tenetur, qui furtum fecit, sed & is, qui opem tulit & consilium dedit §. 11. *J. de obligat. quæ ex delict.* ubi exempla, imò etiam is, qui opem tantùm tulit *l. 36. §. 1. ff. de furt.* aut tantùm consilium dedit, uti patet *ex L. 53. in f. ff. de V. S.* modo ipse, cui consilium datum, furtum consummaverit. Non obstant *verb. fin. d. §. 1.* quia illa ita limitanda sunt, si furtum non sit secutum, tunc enim ex consilio non tenetur *per l. 52. §. 19. ff. eod.* actione tamen doli conveniri potest, juxta *L. 47. ff. de R. J.* Opera sive auxilium autem, quia scienter in furto concurrit, nunquam sine consilio est, si non præcedente, saltem concurrente, dum dolosè ad furti consummationem concurritur. Quòd autem dixi, illum, qui consilium tantùm dedit, furti teneri, aliquò modò limitandum est; si enim consilium fuerit simplex vel monitorium, cessat furti actio, si autem fuerit instructorium, competit dicta actio. *Vid. Bachov. ad Trentl. V. 2. Diss. 30. th. 3. lit. D.* Sed, anne criminaliter puniri potest consilium instructorium dans, si ipse operam non contulerit ad furtum? Affirmatur, si alter furtum consummaverit, & consulens ultra §. solidos de furto lucratus fuerit. Non obstat, quòd in delictis mandans pari pœnâ cum mandatario teneatur *l. 11. §. 3. ff. de injur. §. pen. J. eod.* quia in furto hoc non procedit, nisi mandans partem lucri tulerit; siquidem formalis furti ratio in lucro consistit. Hinc non assentior *Carpzovio prax. crim. P. 2. q. 78. n. 4. & seq.* statuenti propter consilium neminem suspen-

suspendiō puniri posse; Etenim in puncto juris, omnino eum qui consilium dedit, pœnâ suspendii puniri posse, verius est, si sc. consilium fuerit instructorium, si intervenerit lucri participatio & reiteratio.

T H E S. XXVII.

Quatuor adversus fures dantur actiones, quarum prima pœnalis est, ut actio furti, reliquæ verò sunt rei persecutoriæ, ut Rei Vindicatio, condictio furtiva & actio ad exhibendum *per L. 7. §. 1. ff. de condict. furt.* Et una rei persecutoria alteram quidem tollit; non verò pœnalem, quæ cum rei persecutoria rectè cumulat, cum non tendant ad idem sed diversum. Absurdum est furis suspensi heredes à restitutione rei furtivæ velle absolvere; per suspendium enim satisfactum est Reipublicæ, per restitutionem rei satisfaciendum est ipsi læso, & hinc condictio furtiva simpliciter adversus heredes danda est.

T H E S. XXVIII.

Liberi in sacris paternis constituti justas ac legitimas nuptias contracturi, parentum consensum adhibere debent *pr. J. de nuptiis L. 2. & l. 18. ff. de Ritu Nupt.* Sed, estne consensus parentum de omni jure necessarius? Ex dispositione juris civilis certè consensus adeo necessarius est, ut nuptiæ absque eo contractæ, ipsò jure nullæ sint §. 12. *J. de nupt. & d. l. 2. ff. de Ritu Nupt.* ratio prima fundatur in patria potestate; velle enim non creditur, qui obsequitur potestati patris *l. 4. de Reg. Jur.* secunda potest esse, quia patri non consentienti & sic invito hōc modò heres suus adnasceretur, quod tamen fieri non debet §. 7. *J. de Adoption.* Hoc adeo verum est, ut licet concubitus accedat, nuptiæ tamen non subsistant, cum actus illicitus per alium illicitum confirmari nequeat. *Stranch. Dissert. ad π. 2. aphor. 2.* Jure naturæ & divinò morali consensum non esse necessarium, statuit *Ludwel. dissert. 3. th. 5. lit. D.* sed

M
3.

tantum ad bene esse, solò honestatis & pietatis intuitu, quoniam liberi, quorum iudicium ætate jam maturuit, naturâ quasi emancipentur; Rectius distinguitur cum *Hahn. ad Wesenb. t. ff. de Ritu Nupt. n. 3.* inter prohibitionem quæ fit sub lege annulationis (quæ actum facit infectum, cassum, irritum) & quæ fit sub lege punitionis, ubi factum non redditur infectum, sed factum punitur; Sic hoc iure consensus quidem requiritur, eò tamen omisso matrimonium non est nullum, sed omnino videtur subsistere, *Add. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 5. n. 10. & ibidem Ziegler. & Henninges. De Jure Canon consensus est necessarius Can. aliter c. 30. q. 5. Can. honorantur 13. c. 32. q. 2. Eckolt. t. ff. de Ritu Nupt. §. 4. Lauterbach. in comp. jur. t. eod. Dissentit Hahn. ad Wesenb. d. t. n. 3. contractum tamen matrimonium non rescinditur c. 1. 3. q. 5. 30. c. 31. q. 32. c. 6. de condit. appos. c. 6. de rapt. c. 2. q. 2. 27. Struv. Exerc. 29. thes. 23. Hodie magis spectatur reverentia, quam patria potestas *Carpz. P. 2. c. 14. d. 45. n. 5.* & propterea etiam matris consensus requiritur *l. 6. de in jus voc. Carpzov. l. c. D. 44. maxime si pater mortuus sit Richter. Dec. 8. n. 95.* Moribus quoque matrimonium absque consensu parentum contractum & consummatum, non rescinditur, sed subsistit *Struv. l. c. thes. 24.**



COROLLARIA.

I.

Ludus mixtus per se & jure natura permissus est, secus jure positivò

II. In linea recta non opus est querelâ inofficiosi testamenti, sed est frustranea.

III Ma-

- III. Mala fidei possessor non tantum fructus industria suos facit, verum etiam naturales & industriales quos consumpsit, priores tamen irrevocabiliter, posteriores revocabiliter.
- IV. Fundus ad alimenta legatus, mortuo legatario ad testatoris heredem non redit.
- V. Remedium L. 2. C. de rescind. vend. non habet locum in hereditatis divisione & transactione.
- VI. Debitor, qui rem suam Creditori suo oppignoratam furto clam abstulit, non tenetur de jure Civ. ad duplum pretii istius pignoris, sed illius, quod interest Creditoris, so hoher das Pfand verseyet.
- VII. Non omnis conditio, quae in non faciendo posita est, admittit cautionem Mutianam.
- VIII. Si is, cui sub certo pretio & aestimatione res aliqua vendenda data & de lucro nihil dictum fuit, pluris rem illam vendidit, lucrum retinet.
- IX. Venditio annuorum reddituum est mutuum.
- X. Pupillus etiam potest esse negotiorum gestor.
- XI. Remissio debiti seu jure ad rem, etiam censetur remissum jus in re.
- XII. Objectum permutationis etiam potest esse res aliena.
- XIII. Christiano licet injuriarum agere.
- XIV. Licet caupo viatori claves cubiculi, in quo res suas recondidit, tradiderit, nihilominus, si quid ipsi furto fuerit ablatum, viator actione de recepto agere potest adversus cauponem.
- XV. Usucapio non laedit conscientiam.
- XVI. Tabula de jure Civ. non semper cedit pictura, neque hodie scriptura charta.
- XVII. Non solum illi qui ex contractu innominato aliquid dedit, ut alius vicissim aliquid det vel faciat, contractu non adim

M
3.

*adimpletio datur conditio causa data causa non secuta
vel actio praescriptis verbis, sed etiam hereditus ipsius.*

XVIII. *Mercator, qui alicui merces vendidit & tradidit, de
pretio autem fidem habuit, si emptor fugam adornave-
rit, aliis Creditoribus concurrentibus non praesertur.*

XIX. *Jus Publicum recte in Academiis tractatur.*

XX. *Princeps non est simpliciter legibus solutus.*

XXI. *Legitimati per subsequens matrimonium etiam recte
succedant in feudis.*



Uff! / Erde / Wasser / Sonn / die Stern und Feuer-Flammen
War ein vermischter Klumpff / da alles in zusammen
Ohnartig war vermisch / verworren / daß man nicht
Darinnen leben kunt / der Welt gebracht das Licht /
Bis daß der Höchste **GOTT** die Welt gar schön aufführte /
Und gab Natur-Gesetz dadurch man alles spührte.
Rein an Beschaffenheit / ganz nimmer wauckelbahr /
Vollkommen Circel-rund / erleuchtet hell und klar :
Da kam das Licht hervor / und es fieng an zu tagen /
Der Phœbus schwange sich auff seinen Feuer-Wagen :
Da wurde alles gut und hielte seinen Lauff.
Was war des Menschen Hauß als ein zerfallner Hauff
Ein rechte Wüstenei / sie war der Bösheit Stelle /
Da Mord und Rauberey regiert / das Bild der Hölle /
Wann die Gerechtigkeit / die Göttin die ein Schwerd
Und eine Wage trägt / sich von uns abgekehret /
Drum thut Herr **HUCKE** wohl daß Er die Themis ehret /
Von ihr was Recht ist lehrt und so dem Unheil wehret /
Sie wird nach Billigkeit Ihm geben seinen Lohn /
Zum Neuen Jahrs-Geschenck mit Ruhm die Doctors-Krohn.

Dieses setzet dem Herrn Candidaten und wertheften
Herrn Tischgenossen eilend

JOHANNES REGNERUS Hirschfeld /
J. U. L. und des Hoch-Fürstl. Peinl. Gerichts
allhier Assessor Senior.



IN studiis semper posuisti culmen honoris
LA tenoris annis : quod jam cum laude probabis,
Ascendes Cathedram Doctorum, suavis Amice,
Et simul ostendes pariat quos sedula fructus
Lectio, Grator ego, Tibi præmia digna labore.

Ita Nobilissimo Domino Doctorando cum
apprecatione omnimodæ felicitatis ap-
plaudere voluit

FRIDERICUS SIMMER,
Jurium Licentiatus.



προσφωνησις votiva

Ad

Virum Nobilissimum & undequaque politissimum Dominum

OTTONE M FRIDERICUM HUCKIUM,
Rheda Gueſtphalum.

Juris utriusque Candidatum, conterraneum æſtimatiſſimum amicum-
quæ nunquam reconciliatum,

Cum pro ſummis in utroque Jure honoribus ac privilegiis
Doctoralibus ritè capeſſendis ſolennem diſputationem
publicè ederet.

Quod ſol eſt cælis, hoc eſt Themis aurea terris:
Sol lucis fons eſt, pacis origo Themis,
Non igitur temerè colis hanc Præſtabilis Hucki,
Quæ Tibi, quæ patriæ commoda mille feret,
Perge bonis avibus : mox Phœbo dante corona
Nobile Doctoris cinget honora caput.

L. M. Q.

J. A. Stambler.

LL. Cultor.


D

Egre-

M

B.






Marburg, Diss., 1698-1707

X 237 3079

MDX







7.
 INAUGURALIS
 DICA,
 BENS
 26
 1700, 2.
 9/11
 M
 S E S
 LANEAS
 ETICO-
 TICAS,
 IAS
 PRÆSIDE,
 X
 AUTORITATE
 & AMPLISSIMI
 ORDINIS
 N
 SIUM UNIVERSITATE
 ENTIA
nores immunitates ac Privilegia
IA ritè capeffendi,
 ICI Senatus Academici
 i submittit,
 Anno M DCC,
 RICUS HUCK,
 LENBURGENSIS.
 Typis JOH. HENRICI STOCKM.